

et Causae Ponente fuit propositum, cuin Revni Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores affirmativo suffragio unanimiter responderunt. 'Verum beatissimus Pater cunctandum esse dixit, ut ingeminatis precibus Deum, lumen Patrem, deprecaretur. Hanc vero Dominicam quintam post paschalia gaudia selegit ut suam aperiret mentem.

Quapropter accitis ad Se Cardinali eodem, R. P. Salvatore Natucci Fidei Promotore generali, meque Secretario, sacrosancto Missae sacrificio pie litato, edixit : *Tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Teresiae Eustochii Verzeri beatificationem.*

Hoc autem decretum promulgari atque in acta S. R. C. referri litterasque Apostolicas sub anulo Piscatoris de Beatificationis sollemnibus in Vaticana Basilica celebrandis expediri mandavit.

Datum Romae, die 26 Maii a. D. 1946.

© C . Card. SALOTTI, Ep. Praen., Praefectus.

D. © S.

t A. Carinci, Archiep. Seleucien., Secretarius.

V

DECRETUM
DE FACULTATE EDENDI LIBROS LITURGICOS

Quanta sedulitate liturgicis libris edendis Sacra Rituum Congregatio semper advigilaverit, cum decreta identidem in hunc finem lata, tum reverentia quam sacris Voluminibus ab omnibus haberi voluit, luculenter commonstrant. Hinc reservatio tituli « Typographi Pontificii », quem paucis tantum et quidem probatis typographis decursu temporis concescit; hinc etiam Sacrorum Librorum revisio, quam ipsamet Congregatio accuratissime peragere solet.

Attamen iamdudum, varias ob causas, mos invaluit, ut quilibet typographus, accedente consensu atque approbatione proprii Ordinarii, libros liturgicos et praesertim Missale et Breviarium Romanum, haud semper ea qua decet forma et textus puritate, in lucem edat. Ut autem huic incommodo provideatur et decori, quo res ad .divinum cultum pertinentes nitere debent, consulatur, textusque sacri emendatissima exhibetur lectio, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII haec quae

Acta Apostolicae Sedis — Commentarium Officiale

sequuntur statuenda decrevit, sublata quavis concessione atque abusu in contrarium existente :

- 1) Uni dumtaxat Typographiae Vaticanae, ceteris exclusis, libros liturgicos typis excudendi ius esto. . . .
- 2) Quilibet typographus, sive pontificio diplomate gaudet, sive non, toties a S. Rituum Congregatione licentiam obtinere debet, quoties hos libros edere velit.
- 3) Administrationis Bonorum S. Sedis est pro publica horum librorum divulgatione singulis vicibus condiciones ferre.
- 4) Concordantia cum editione Vaticana ab Ordinario, iuxta can. 1390 Cod. Iuris Canonici, concedenda, ne subscribatur ab ipsis nisi post diligentem atque accuratam viri in re liturgica periti revisionem.
- 5) Ad huius decreti effectum, hi qui sequuntur liturgici accensentur libri :

Breviarium Romanum - Missale Romanum - Rituale Romanum - Pontificale Romanum - Martyrologium Romanum - Caeremoniale Episcoporum - Memoriale Rituum - Octavarium Romanum - Collectio Decretorum S. Rituum Congregationis.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus-

Romae, 10 Augusti 1946.

¶ C. Card. SALOTTI, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. © S.

¶ A. Carinci, Archiep. Seleucien., *Secretarius.*